

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Martinus Nigrinus


**Libri Qvæstionum Theologicarum Tres, quos Martinus Nigrinus Valdenburgensis  
F. Methodo legitima conscripsit; ilisq[ue] dialogum, qvi præceptorum usum  
aliqvo modo ostendat, ad finem addidit**

Rostochii: Lübeck: Myliander: Albert, 1591

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1769588469>

Druck Freier  Zugang





Loy. A. E. 52 a. II.

Magnifico, reverentissi-  
mo et clarissimo viro  
D. Luciae Backmer,  
aero s. Theologia do-  
ctori et professori  
munc cum illius stu-  
ce Carinthiae re-  
ctoratus munere  
re hic suscepit

Dominino et praecursori  
suo non inter colen-  
do est autor.

200

C 12 D 10 XCI

Fg-3140.

5 R

+

constat 2/6



L I B R I  
QVÆSTIONUM  
THEOLOGICARUM  
T R E S ,

*quos*

M A R T I N U S N I G R I N U S  
Valdenburgensis F.

*Methodo legitimâ conscripsit ;  
illisq; dialogum , qvi praecepto-  
rum usum aliquo modo o-  
stendat , ad finem  
addidit.*



ROSTOCHII  
Typis Myliandrinis Anno  
C I C . C I . X C I .



**CONSULIBUS**  
**E T**  
**SENATUI POPULOQUE**  
**VVISMARIENSI**  
**MARTINUS NIGRINUS**  
**CONSECRO.**

*Viri amplissimi, viri prudentissimi,*

U T diebus festis seriò à Deo manda-  
tum quietem-laborem, otium-ne-  
gotium venarer, omnes horas, qvas po-  
tui sepositis Philosophicis & juridicis  
studijs, lectioni & meditationi sacra-  
rum litterarum ac scriptorum theologi-  
corum dedi, Hujus laboris & negotij  
ut etiam aliquis fructus ad meos audi-  
tores redundaret, ab eo tempore quo  
Rostochium veni, in præcepta brevissi-  
ma & paucissima, ea, qvæ ex illis lecti-  
onibus & meditationibus didici, con-  
cludere laboravi sedulò. Qvæ nunc in  
suum ordinem redacta, puerorumq;  
captui per qvæstiones accommodata,  
vobis dedicare placuit. Hoc ut face-

A 2

rem

rem , compulit me vestra prudentia &  
virtus ; maximè studium illud , quo do-  
ctrinam cœlestem Augustanæ confes-  
sioni per omnia consentaneam curatis  
in vestris cathedris doceri ; omnia disci-  
dia , hæreses , præcipue ex scholis &  
templis ejici ; nec ullum ullius Reipub.  
exemplum vos commovet , ut secus fa-  
ciatis . Hinc existimo hoc munus vo-  
bis non ingratum fore . qvod etsi per se  
exiguum ; à materiâ tamen pondus ac-  
cipiet . qvia ad salutem qvæ faciunt æ-  
ternam , qvâ nil præstantius in orbe  
terrarum , omnia plenissimè & planis-  
simè scripta continet ; qvod dialogus ad  
calcem annexus qvodammodo ocebit .  
deniqvè ab animo , qvo datur , aliquid  
forsitan accedit . propositum enim i-  
psi alijs prodesse vobis gratifi-  
cari . Valete . Rostochij , ex  
nostro Musæo , Idi-  
bus Iulij , an-  
no 91 .



Liber

LIBER PRIMUS  
DE ESSENTIA DEI.

Caput 1.

De definitione Theologiae, mi-  
nistrorum & Ecclesiae

D.

**A**udiri jam aliquoties ex te, pre-  
ceptor colende, omnia esse condita  
à DEO ad certum aliquem finem;  
dic ergo mihi cuius gratiâ homo sit  
factus?

P. Ut omnia reliqua creata sunt hominis ergo;  
ita homo DEI causâ ab eodem factus est. unde non  
imperito Theologus dici debet.

D. Qvare hoc indigitabitur nomine?

P. Qvia omnes suas actiones, sermones & medi-  
tationes ad D E I gloriam, de ipsius potentia &  
bonitate, ipsiusq; cognitione instituere cum decet,  
totusq; Theologie deditus esse debet.

D. Quid est Theologia?

P. Theologia, est ars Deum cognoscendi.

D. Cum Catechesis indubitatas regulas ab o-  
mnibus exceptis atheis, habere credatur; dic ergo  
ad singulas definitiones, ex quâ regulâ sint sumtæ,  
sc̄ primum unde hæc educta sit definitio.

A. \*

P. Ex-

P. Ex petitione primā,  
Sanctificetur nomen tuum.

D. Theologia cūm ars dicatur, ab omnibus estne docenda?

P. Ita, privatim; publicis vero in conventibus tantum à ministris.

D. Quid igitur sunt ministri?

P. Ministri, sunt viri, à DEO ipso, vel per Ecclesiam electi, ut hanc artem publicè doceant, & administranda administrent.

D. unde hæc definitio sumpta est?

P. Ex verbis Christi, dicitis ad Apostolos;  
Ite in orbem universum, docete omnes gentes, baptizate eas etc.

D. Quid autem Ecclesia?

P. Est cœtus hominum, qui ubiunque viventes, hanc artem auditu cognitam amplectuntur, vel etiam qui ex membris ecclesiæ nati sunt.

D. In quo capite Catecheseos veritas hujus definitionis querenda?

P. In Symbolo Apostolico. Credo Ecclesiam sanctam, Catholica-  
cam, communionē sanctorū.

Cap. 2.

Caput 2.

*Quid Deus.*

D. Dic mihi porro quot partes sint Theologie?

P. Duæ. Essentia Dei, aut ejus voluntas.

D. Quid est essentia D. i?

P. Essentia Dei quâ est, consistit in  $\wp\circ\alpha$ , quâ unus, & personis, qvibus trinus dicitur.

D. Quomodo unus potest trinus esse, & trinus unus?

P. Hoc non potest demonstrari sed credi debet. est enim articulus fidei.

D. Quomodo definitur Deus ratione  $\wp\circ\alpha$ , que omnibus personis convenit?

P. Deus, est Spiritus ab æterno optimus & maximus.

Caput 3.

*De creatione & conservatione mundi.*

D. Antequam de personis agamus, dic quid Deum nobis commendat?

P. Bonitatem & omnipotentiam DEI satis nobis commendat mundi creatio, & ejusdem conservatio.

D. Quid est creatio mundi?

A 4

Crea-

P. Creatio mundi , est actio Dei , qvâ ex  
nihilo omne, qvod est, condidit bonum.

Credo in Deum patrem  
omnipotentem creatorem  
cœli & terræ.

D. Quid est conservatio mundi ?

P. Conservatio mundi , est actio Dei, qvâ  
omnia & singula conservat.

D. ubi hec petitur ?

P. In petitione , Panem nostrum  
qquotidianum da nobis ho-  
die.

D. Quæ facultas in Deo maximè conservations  
inseruit ?

P. Præscientia.

D. Quid est præscientia ?

P. Præscientia , est facultas , qvâ Deus o-  
mnia præsentia, præterita & futura præsens  
videt.

D. Quorum verò ministerio utitur Deus in sin-  
gulorum conservatione ?

P. Angelorum , qvos bonos appellamus,  
servitio plurimum utitur.

D. Quid sunt igitur angeli boni ?

P. Angeli boni , sunt spiritus, in integrita-  
te cum

re cum primò manerent, in illâ jam confi-  
mati sunt, & magnâ potentîâ ornati.

Caput 4.

*De miraculis & cruce Ecclesie.*

D. Quid præterea conservationis gratiâ fieri  
solet.

P. Miracula &c crux Ecclesiæ.

D. Quid sunt miracula?

P. Miracula, sunt actiones Dei, qvæ sunt  
præter & supra naturæ cursum.

D. Quid autem est crux Ecclesie?

P. Crux Ecclesiæ est qvævis calamitas,  
qvam sinit Deus plurimū piis inferri.

D. Hac ne succumbamus quomodo est orandum?

P. Et ne nos inducas in ten-  
tationem.

D. Qvis nos s̄ep̄issime in temptationem ducit?

P. Diaboli.

D. Quid sunt Diaboli?

P. Diaboli, sunt Spiritus à rectitudine con-  
creatâ, deficientes cœlo ejesti, & facti hostes  
Dei acerrimi.

Caput 5.

*De DEO Patre.*

A 5

D. Co-

D. Cognito, quid sit DEUS ratione ~~cōsider~~  
et quibusdam operibus DEI, que ad extra ap-  
pellantur, queq; indivisa sunt: dic porro quid per-  
sona quā trinus, vocatur?

P. Persona est essentia intelligēs per se una.  
Quare etiam opera cuiuslibet sunt indivisa,  
id est propria atq; ad intra.

D. Quiduplex est.

P. Mittens vel missa.

D. unde hæc nova distributio?

P. Ex operibus personarum. que quia pro-  
priis proximi communicari non possunt, et its  
distinctionem faciunt earundem.

D. Quid est persona mittens?

P. Est, qvæ alias mittit, neq; mittitur; cu-  
jusmodi est Deus Pater.

D. Quid est Pater?

P. Deus Pater, est persona in deitate mittēs,  
qvæ genuit Filium imaginem suam.

Ab hoc Apostoli ita symbolum inchoant,

**Credo in Deum patrem  
omnipotentem, creatorem  
cœli & terræ.**

Caput 6.  
*De Deo Filio.*

Quid

D. Quid verò est persona missa?

P. Quæ mittitur.

D. Quotuplex est?

P. Et hæc mittitur & mittit; vel tantum  
mittitur.

D. Quæ est persona missa-mittens?

P. Filius.

D. Quid est Filius?

P. Filius, est persona in Deitate missa-  
mittens, quæ genitus est Deus à DEO pa-  
tre, & virtute Spiritus sancti ex Mariâ  
virgine factus homo: jam ergo vocatus  
Iesus Christus, qui antea Filius solummodo  
Dei dicebatur.

De hoc ita Apostolorum symbolum loquitur,

Credo in Iesum Christum  
filium ejus unicum Dominum  
nostrum, qui conceptus est  
de spiritu sancto, natus ex  
Mariâ virgine.

D. Quæ hic præterea sunt consideranda?

P. Duo. primò quare Filius Dei homo sit  
factus; deinde quid illam naturarum uni-  
onem sit secutum.

Quare

D. Quare igitur filius Dei indissolubili vinculo humanam naturam sibi univit?

P. Ut suâ passione, morte & resurrectione totum mundum redimeret, qvod ex his verbis Apostolorum patet,

Credo in Iesum Christum dominum (redemptorem) nostrum qvi passus sub Fatio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos, tertia die surrexit.

D. Quid verò unionem illam est secutum?

P. Communicatio idiomatum, qvâ proprietates naturarum sunt personæ; salvâ tamen naturâ qualibet; ut ex modo citatis verbis liquet.

### Caput 7.

## De Spiritu sancto.

D. Que persona in Deitate solum mittitur?

P. Spiritus sanctus.

D. Quid est Spiritus sanctus?

P. SPiritus sanctus, est persona in Deitate tantum missa, procedens à Patre & Filio: & mit-

mittitur, ut ministerium Ecclesiæ gubernet,  
& corda piorum regeneret ac sanctificet.

## Credo in Spiritum san- ctum.

### THEOLOGIÆ LIBER SECUNDUS DE LÈGE.

#### Caput I.

#### *De definitione legis.*

D. Postquam jam absolvisti doctrinam de essen-  
tiâ Dei, quid porrò explicandum restat?

P. Voluntas Dei adhuc superest.

D. Quid est ergo illa voluntas?

P. Voluntas Dei, est illud quod à nobis  
vult fieri.

D. Quotuplex est?

P. Lex & Euangeliū.

D. Quid est Lex?

P. Lex, est doctrina justè vivendi.

Atq; hæc est homini in primâ creatione  
indita, & postea per Mosen in monte  
Sinai repetita.

D. Secundum hanc ut vivamus, quomodo pre-  
camur?

Fiat

Fiat voluntas tua ; sicut in  
coelo sic etiam in terra.

Caput 2.

*De virtute.*

D. Ad justè vivendum quid propositum est?

P. Virtus : cui contrarium est vitium.

D. Quid est virtus vel bonum opus?

P. Virtus, est actio spontanea congruens  
cum normâ rectæ rationis,

D. Mirum, si hæc definitio etiam fundata sit in  
Catechesi.

P. Maxime. collecta enim est ex illis verbis ;  
tu non furtum facies. tu non  
occides. & quidem eo modo quo Christus  
illud abstraxit dictum : Diliges Domi-  
num Deum tuum ex toto  
corde etc.

D. Cur vocem (spontanea) addis?

P. Ut intelligatur, virtutem vel opus bonum  
non esse, nisi quod fiat lubenti animo, absq; ulli  
ullius præmij vel poenæ consideratione, &  
sic ab homine adhuc in imagine Dei constituto.

*Quid*

D. Quid est ergo imago Dei?

P. Imago Dei, ad quam homo conditus,  
est integritas omnium virium in intellectu  
& voluntate.

D. Ergo homo integer liberè & sponte quod bo-  
num est potest facere.

P. Ita. habet enim liberum arbitrium.

D. Quid est liberum arbitrium?

P. Liberum arbitrium hominis integri,  
est facultas, quam liberè & bene & male ac-  
gere potest.

### Caput 3.

## Depeccato.

D. Sed antequam virtutem distribuas, die  
prius quid vivum sit, quod virtuti oppo-  
nitur?

P. Quinquam ex oppositione satis definitum est;  
tamen quia expertis potius repetam.

D. Dic ergo, quid est vitium?

P. Vitium, sive peccatum, est actio vo-  
luntaria dissentiens a normâ rectae ratio-  
nis, & promerens iram Dei. hinc perimus,  
Et remitte nobis debita no-  
stra, sicut & nos remitti-  
mus debitoribus nostris.

Anne

D. Anne etiam imaginem Dei præsupponit, quæ admodum virtus?

P. Potius Diaboli, qvam Dei, qvæ peccatum originale dicitur.

D. Quid hoc est?

P. Peccatum originale, est impuritas omnium virium in mente & voluntate à parentibus in nos derivata.

D. Quare dicitur peccatum, cum non sit actio?

P. Primo; qvia nos damnabiles reddit coram Deo; deinde; qvia omnis peccati, excepto lapsu Adami, fons & origo est.

D. Ergo primi parentes tantum habuerunt liberum arbitrium?

P. Recte ratiocinari. nam siboles Adami, qvamvis liberum arbitrium habere dicatur, magis tamen servum est.

D. Quomodo definis igitur illud?

P. Liberum arbitrium hominis impuri, est facultas qvā tantum potest peccare.

D. Quomodo haec probas?

P. Qvia debet per baptismum regenerari, ut virtute Spiritus sancti bene agere possit.

#### Caput 4.

#### De prudentiâ.

D. Quantum conjicio ex definitione virtutis, & que

que illam sequuta fuerunt, in nullo omnino est  
impingendum in virtutis actione?

P. Recte conjicis. nam prudentia est opus in  
quovis eiusvis actionis honeste fine conse-  
quendo.

D. Quid est prudentia?

P. Prudentia, est actio mentis, quae cir-  
cumstantias omnes diligenter perpendens,  
media eligit honesta ad virtutis finem rectâ  
tendentia.

D. Que sunt illae circumstantiae?

P. Quae hoc versiculo vulgari continen-  
tur:

Quis, qvid, ubi, qvibus auxiliis, cur, qvo-  
modo, qvando.

D. Sunt ne illae omnes ita strictè observandæ?

P. Maximè. nam si in una erres, tota actio vi-  
tiatur, licet aliás bona esset. Conjugum con-  
trahere honestum est; sed si in persona impingis;  
et sororem vel matrem conjugis tibi per nu-  
ptias, mala erit actio tota.

D. Num igitur actio mala per circumstantias  
bonas et honestas efficietur bona et hone-  
sta?

P. Nequaquam. Adulterium est in honestum;  
hoc ut perpetræ, licet multum ores, decumq; ro-  
ges, tamen nunquam honestum fiet.

B

Caput

Caput 5.

*De Notitiâ Dei.*

D. Cognitis generalibus illis affectionibus vel  
potius accidentibus virtutis, die jam quotu-  
plex ea sit?

P. Divina & humana.

D. Quid est divina?

P. Virtus divina est, qvæ circa Deum oc-  
cupatur.

D. Quotuplex est ea?

P. Notitia & Latria Dei.

D. Quid est Dei notitia?

P. Notitia Dei, est virtus divina, qvæ DEUM secundum essentiam & volunta-  
tem suam agnoscit.

Caput 6.

*De dilectione.*

D. Quid verò est Latria?

P. Latria, est virtus divina qvæ Deum  
agnitum colit.

D. Quotuplex est latria?

P. Interna & externa?

D. Quid interna?

P. Interna latria est, qvæ etiam sine  
externâ actione peragi potest.

D. Quotuplex est hæc?

P. Merè interna vel mixtim.

Quid

D. Quid merè interna?

P. Merè interna latria est, qvæ solummodo mente exercetur & sine qvâ nulla virtus esse potest.

D. Quotuplex est illa?

P. Prima vel ab hac orta.

D. Que est prima?

P. Dilectio.

D. Quid ea est?

P. Dilectio, est latria merè interna prima, qvæ Deum ardentissimo amoris incendio complectitur.

### Caput 7.

## *De timore fidei & spe.*

D. Quotuplex est latria merè interna que ab aliâ oritur?

P. Illa vel tantum à primâ oritur, vel etiam ab oitâ.

D. Que oritur à dilectione tantum?

P. Timor.

D. Quid ille?

P. Timor DEI est, qui Deo sese subiiciens timet aliquid facere, quod Deo displiceret, & omittere quod ei fieri placet.

B 2

Que

D. Que oritur à dilectione & timore simul ?  
P. Fides & Spes.

D. Quid fides ?

P. Fides , est fiducia in Deum ejusq; pro-  
missa.

D. Quid spes ?

P. Spes , est certa exspectatio rerum pro-  
missarum.

Caput 5.

*De oratione , juramento , &  
gratiarum actione.*

D. Quid vero est mixtim interna latrīa ?  
P. Mixtim interna latrīa est , qvæ etiam  
voce atq; gestu peragitur.

D. Quotplex ea est ?

P. Invocatio & gratiarum actio.

D. Quid invocatio ?

P. Invocatio est , qvæ Deum invocat ut  
Deum.

D. Quotplex invocatio ?

P. Oratio & juramentum.

D. Quid est oratio ?

P. Oratio , est invocatio , qvæ à Deo pe-  
tit bona spiritualia & corporalia : sed hæc  
cum conditione qvatenus profint.

Quid

D. Quid est juramentum?

P. Juramentum est, qvo petitur Deus testis vera dicentibus, & acerimur vindicentientibus.

D. Quid autem est gratiarum actio?

P. Gratiarum actio est, qvæ Deo pro omnibus gratias agit.

### Caput 9.

## De confessione, fidelitate ministerorum, & diligentia auditorum.

D. Explicasti jam omnes species latrie internæ?

P. Explicui.

D. Ergo deinceps secundum tuam distributionem latrie generalem, etiam externam explicato.

P. Externa latria est, qvæ sine externâ actione peragi non potest.

D. Quotuplex est?

P. Estque omnibus diebus adstricta, vel ad ordinatos.

D. Que omni die debet exerceri?

P. Confessio.

D. Quid est confessio?

B 3

Con:

P. Confessio, est latria externa, qvæ verbum Dei quoquo modo confiterur.

D. Quæ verò est certis diebus alligata?

P. Fidelitas ministrorum & diligentia auditorum.

D. Quid est fidelitas ministrorum?

P. Fidelitas ministrorum, est qvæ verbum Dei legitimè in Ecclesiâ explicat, & ritè administranda administrat.

D. Quid verò diligentia?

P. Diligentia auditorum, est qvæ verbi explicationem à ministro attentè audit & dicit, & sibi administratis crebrò uitur.

D. Quare omittis fundamentum virtutum monstrare, quod desiderans desideravi hucusq;?

P. Qvia commode non poterat fieri propter affectiones generales, qvæ in bipartitas distributiones erant distribuendæ: ex quibus alia species ad aliud præceptum pertinet.

D. Quorsum ergo singulas refers?

P. Ad præceptum, Ego sum Dominus Deus tuus, qvi eduxi te ex terra Aegypti, non habebis Deos alienos corā me, refero notitiam Dei: ad secundum numero dile-

dilectionem , timorem , fidem , spem ad ter-  
tium orationem , juramentum & confessio-  
nem .

D. Quorum recenses igitur fidelitatem mini-  
strorum & diligentiam auditorum ?

P. Ad quartum , quod est de sanctificatio-  
ne sabbati .

Caput 10.

*De virtute humana , & ma-  
gistratu .*

D. Quoniam non tam de numero , cuius nulla  
est efficacia , quemadmodum magnitudinis , quam  
rebus debemus esse solliciti , curiosius de illa distin-  
ctione non sciscitabor , sed potius rogaro , ut ad  
virtutem humanam quam divinae opposucas , in-  
terpretandam accedas .

P. Virtus humana est , quae proximo nostro  
facit , quod sibi vult fieri eodem in statu .

D. Quotuplex est ?

P. Specialis & generalis .

D. Quid est specialis ?

P. Virtus humana specialis est , quae certis  
personis competit quaeque in honore occupatur .  
Honora patrem & matrem  
tuam , ut sis longaevus super  
terram .

D. Quotuplex est haec virtus?

P. Illa est vel superiorum vel subjectorum.

D. Priusquam superiorum officia distribuas, dico quos nominas superiores?

P. Superiores sunt, qui in subjectos potestatem aliquam habent.

D. Estne ea potestas eadem?

P. Non: sed alia naturalis alia civilis est.

D. Quam vocas naturalem potestatem?

P. Quae natura superioribus convenit.

D. Qui habent eam?

P. Parentes; item qui moribus & aetate praezellunt; ut sunt praecatores, senes, mariti.

D. Quid vero est civilis potestas?

P. Quae ex arbitrio alicui collata est.

D. Qui habent eam?

P. Magistratus.

D. Quid sunt Magistratus?

P. Magistratus, sunt viri, quibus vel a Deo ipso vel mediatae ab hominibus imperium commendatur.

### Caput II.

## De educatione & justitia distributiva.

jam

D. Jam dic quotuplex sit virtus, que ad superiores speciat?

P. Educatio & justitia distributiva.

D. Quid est educatio?

P. Educatio est, quæ sibi subjectos nutrit & ad honestum rei que publicæ utile negotium instituit.

D. Quid autem justitia distributiva?

P. Justitia distributiva est, quæ inter subditos secundum personarum dignitatem distribuit distribuenda.

D. Quotuplex est illa?

P. Remuneratio & vindicatio.

D. Quid est remuneratio?

P. Remuneratio est, quæ honestis actionibus præmia constituit.

D. Quid est vindicatio?

P. Vindicatio est, quæ punit delinquentes.

D. Quid vindicationi subservit?

P. Aeqvitas.

D. Quid illa est?

P. Aeqvitas est, quæ rigorem juris attemperat.

## Caput 12.

### De appetitione & gloriacione.

D. Postquam dixisti quid superiores & quæ corum officia, dic porro quid subjecti & quæ illorum officia?

P. Quid sint subjecti, & quotuplices, facile ex superiorum definitione & distinctione noscet. sunt enim relata.

D. Dic igitur quid peculiare habent?

P. Subjecti vel honorem petunt vel non petunt.

D. Quæ sunt officia & virtutes petentium?

P. Appetitio honoris & gloriatio.

D. Quid est appetitio?

P. Appetitio honoris est, quæ cognitâ dignitate, quâ rem publ. & ecclesiam multum juvare possit, honorem sibi petit dari.

D. Quid autem gloriatio?

P. Gloriatio, est præstantiae ex dotib. atq; opere justa prædicatio.

### Caput 13.

## De obedientia, reverentia & pietate.

D. Quæ virtutes sunt non petentium honorem?

P. Subjecto & pietas.

D. Quid est subjectio?

P. Subjectio est, quæ se superioribus submittit.

Quo-

D. Quotuplex est?

P. Obedientia & reverentia.

D. Quid obedientia?

P. Obedientia, est subjectio, quae iussa superiorum exequitur.

D. Quid autem est reverentia?

P. Reverentia, est subjectio quae superiores reverenter colit vestibus & gestu.

D. Quid vero est pietas?

P. Pietas est, quae sanguine propinquos justo amore prosequitur; & haec quodammodo mutua esse debet.

Caput 14.

## De magnanimitate & patientia.

D. Quid sequitur virtutem specialem?

P. Generalis.

D. Quid est generalis?

P. Generalem virtutem dico, quae ad omnes omnino pertinet homines.

D. Quot eius sunt genera?

P. Duo,

D. Primi generis quae sunt species?

P. Fortitudo & temperantia.

D. Quid est fortitudo?

P. Fortitudo, est virtus generalis quae animum corroborat.

Non occides.

Con-

D. Contra quid corroborandus animus, ut non  
occidamus?

P. Adversus dolorem vel iram.

D. Quæ fortitudo munit nos adversus do-  
lorem?

P. Magnanimitas & patientia,

D. Quid est magnanimitas?

P. Magnanimitas, est fortitudo, qvæ in-  
signem injuriam à privato factam perse-  
quitur legibus vel armis.

D. Quid autem est patientia?

P. Patientia, est fortitudo, qvæ patientes  
fert, quæ depelli non possunt.

D. Semperne patientia idem nomen retinet?

P. Non. quatenus enim à proposito ho-  
nesto nullo dolore dejicitur constantia ap-  
pellatur.

### Caput 15.

## De amicitia & clemen- tia.

D. Quæ fortitudo autem corroborat animum ad-  
versus iram?

P. Humanitas.

D. Ut autem illam definis?

P. Humanitas, est fortitudo, qvæ sese erga  
alios humanam præbet.

QV-

D. Quidplex est illa?

P. Amicitia & clementia; aut humilitas  
& comitas.

D. Quid est amicitia?

P. Amicitia, est humanitas, quae erga ali-  
um benè affecta est.

D. Quidplex est?

P. Benivolentia & amicitia.

D. Quid est benivolentia?

P. Benivolentia, est amicitia, quae alios be-  
nivolo affectu prosequitur.

D. Quid autem est amicitia?

P. Amicitia in specie, est quae virtute co-  
junctione ardenter remediat.

D. Quid vero est clemensia?

P. Clementia est humanitas, quae injuri-  
am levem remittit; ejusque obliuiscitur.

### Caput 16.

## De humilitate, affabilitate & urbanitate.

D. Quid est humilitas?

P. Humilitas, est humanitas, quae aequali-  
tate sibi præfert.

D. Quid vero comitas?

P. Comitas, est humanitas, quae in con-  
gressibus ira se vacuam ostendit.

Quo-

D. Quiduplex est?

P. Affabilitas & urbanitas.

D. Quid affabilitas?

P. Affabilitas, est comitas, quae aliis ad-eundi & colloquendi facilè copiam facit.

D. Quid autem est urbanitas?

P. Urbanitas, est comitas, quae sermone faceto alios recreat.

### Caput 17.

#### De castitate & sobrietate.

D. Cum fortitudini associasti temperantiam in distributione virtutis humanae generalis, dic quid ea sit?

P. Temperantia, est virtus humana generalis, quae voluptatem cavit tur-pem.

Non moechaberis.

D. Quiduplex est ea?

P. Tactus vel gestus.

D. Que temperantia est tactus?

P. Castitas & sobrietas.

D. Quid est castitas?

P. Castitas, est temperantia libidinis venereæ.

D. Quid nominas libidinem veneream?

Omnem

P. Omnem venerem extra conjugium.

D. Quid est conjugium?

P. Conjugium, est viri & mulieris in perpetuum conjunctio ad propagationem sibolis facta.

D. Quid vero sobrietas?

P. Sobrietas, est temperantia, quae cibi & potus tantum capit quantum naturae convenit.

### Caput 18.

#### *De pudicitia & ornatu.*

D. Quae autem temperantia est gestus?

P. Pudicitia & ornatus.

D. Quid est pudicitia?

P. Pudicitia est temperantia, quae nihil obsceni vel turpis tagit, audit, videt, & dicit.

D. Quid vero est ornatus?

P. Ornatus est temperantia cultus vestitusque corporis.

### Caput 19.

#### *De labore & parsimonia.*

D. Secundum genus virtutis generalis quot habet species?

P. Iustitiam commutativam & moderationem linguae.

D. Quid est Iustitia commutativa?

Iusti-

P. Iustitia hæc, qvæ etiam correctiva appellatur, est virtus generalis, qvæ frenat cupiditatem habendi.

## Non furtum facies.

D. Quid illa agit?

P. Bona vel acquirit vel usurpat.

D. Quæ virtutes acquirunt bona?

P. Labor & parsimonia.

D. Quid est labor?

P. Labor est, qvi in honesto opere strenue occupatur.

D. Quid autem est parsimonia?

P. Parsimonia est, qvæ parta vel quasi parta diligenter custodit.

## Caput 20.

### De iustitiâ commutativâ in specie.

D. Iustitia commutativa que in bonis usurpatis occupatur, in quibus versatur?

P. Versatur vel in bonis dandis vel accipiendo.

D. Prioris generis que est?

P. Iustitia commutativa & beneficentia.

D. Quid illa est?

P. Iustitia commutativa in specie est, qvæ in con-

in contractibus servat æqvalitatem rerum  
commutandarum.

D. Quid huic subservit ?

P. Fides.

D. Quid est illa ?

P. Fides est, qvæ in contractibus servat  
promissa.

### Caput 21.

## De liberalitate & hospitali- tate.

D. Quid verò est benifcentia ?

P. Benifcentia est, qvæ gratis bona dat  
aliis sua.

D. Quotuplex est ?

P. Liberalitas & hospitalitas.

D. Quid est liberalitas ?

P. Liberalitas, est benifcentia qvæ aliis  
operâ & pecuniâ inservit.

D. Quid est hospitalitas ?

P. Hospitalitas est benifcentia qvæ alios  
hospitio excipit & benè tractat.

### Caput 22.

## De gratitudine.

C

Die

D. Dic porro quæ virtus est in bonis accipiendis?  
P. Gratitudo.

D. Quid est illa?  
P. Gratitudo, est virtus quæ beneficia accepta studet compensare.

Caput 23.

## De veracitate & taciturnitate.

D. Omnesne jam species justitiae commutativa recensuisti?

P. Recensui.

D. Quare secundum propositum tuum moderatiōnem lingue aggredere, mihiq; dic quid sit?

P. Moderatio linguae, est virtus humana generalis, quæ cavit ne lingua proximi famæ vel utilitati noceat.

## Non loqueris falsum testimonium.

D. Quot in partibus consistit?

P. In veracitate vel taciturnitate.

D. Quid est veracitas?

P. Veracitas, est moderatio linguae, quæ vera profert & amplectitur.

D. Semperne idem nomen retinet?

P. Non, nam si alii in aliquo assentitur, testimonium: si detrimentum allatura nudat,

iss.  
cia  
ue  
ati-  
na  
fa-  
ti-  
væ  
nr,  
nu-  
dat,  
dar, delatio: si proximum errati admonet  
admonitio; si alia tibi cognita certis vel  
probabilibus argumentis persuasa profert,  
quam male de proximo loquens, excusatio  
vocatur.

D. Quid vero taciturnitas?

P. Taciturnitas est moderatio linguae, quae  
sibi credita & cognita retinet.

D. Quid jam restat in libro secundo?

P. Nihil.

D. Cur omittis preceptum de concupiscentia?

P. Non est omissum; sed omnis concupi-  
scientia in omni precepto per definitionem  
virtutis sublata est. nam quod turpe est fa-  
ceré, turpe quoque est cogitare, ut saniiores  
Philosophi dixerunt.

D. Quid ergo in Theologiâ hac tuâ superest?

P. Liber tertius, de quo mox agam.

## LIBER TERTIUS. DE EUANGELIO.

Capit 1.

De beatitudine & in-  
fernō

C 2

Liber

D. Liber secundus , si adhuc menini fuit de  
Lege: dic de quo erit liber tertius?

P. De Euangelio.

D. Quomodo hoc definis?

P. Evangelium , est doctrina beatè vi-  
vendi.

## Adveniat regnum tuum.

D. Estnè hoc etiam primo homini in creatio-  
ne inditum , ut lex?

Pt Non, sed à Christo noviter è sinu Dei  
patris prolatum.

D. Cur autem nominas doctrinam beatè vi-  
vendi?

P. Qvia monstrat & docet nos viam .  
qvā insistentes ad beatitudinem possimus  
pervenire & infernum evitare.

D. Quis est beatitudo?

P. Beatitudo , vel vita æterna , est visio  
Dei perpetua cùm ineffabili gaudio con-  
juncta,

## Credo vitam æternam.

D. Quid autem est infernus?

P. Infernus contra , est privatio conspe-  
ctus Dei in æternum , conjuncta cùm cru-  
ciatu inenarrabili.

D. Estnè cruciatus omnibus idem?

Ut gau-

P. Ut gaudium non omnibus æqvale, ita  
nec cruciatus unus & idem est omnibus.

D. Unde illi gradus?

P. Ex operum differentiâ secundum qvæ  
contingunt, & qvidem secundum bona,  
ratione promissionis,

Caput 2.

*De credentibus & incre-  
dulis.*

D. Quid porro obseruandum est, tūm de be-  
atitudine tūm inferno?

P. Qvibus contingant & quando.

D. Qvibus igitur contingunt?

P. Vita æterna datur credentibus, infer-  
nus contra incredulis.

D. Quos nominas credentes?

P. Credentes hic sunt fide in Christum  
justificati, & ritus mandatos observantes.

D. Quos dicas incredulos?

P. Qvibus alterutrum membrorum, in  
credentium definitione, dictorum, vel u-  
xiūmq; deest.

Caput 3.

C 3

De

## *De justificatione & clavibus regni cælorum.*

D. Duo ergo in credentibus requiris, justificationem & rituum observationem?

P. Reqviro.

D. Dic quæso quid est justificatio?

P. Iustificatio est, qvâ Deus omnes peccatores credentes, justos facit in sanguine Christi.

D. Quibus præterea nomimibus appellantur iustificati?

P. Electi, præsciti, prædestinati, sancti, benedicti.

D. justificationem dum ministri verbi loco DEI administrant, quo uti dicuntur?

P. Clavibus regni cælorum.

D. Quid sunt illæ?

P. Claves regni cælorum, sunt potestas, qvâ ministri loco Dei justificationem credentibus, iram Dei contra incredulis anunciant. hac parte ligas, ab altera solvens dicitur.

Hoc cum dixisset Iesus sufflavit in discipulos suos & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, qvorumcunq; remi-

remiseritis peccata, remit-  
tuntur eis. et qvorumcunq;  
retinueritis, retenta sunt.

Caput 4.

*De remissione peccatorum,  
pœnitentiâ & imputatio-  
ne justitiae.*

D. *Justificatio vero quot in partibus consistit?*

P. In remissione peccatorum, & imputa-  
tione justitiae.

D. *Quid est remissio peccatorum?*

P. Remissio peccatorum est, qvâ Deus pro-  
pter obediëtiam Christi supererogatoriâ pœ-  
nitentib. inobedientiæ pœnam remittit.

**Credo remissionem pecca-  
torum.**

**Et remitte nobis debita no-  
stra, sicut et nos remittimus  
debitoribus nostris.**

D. *Quos vero nominas pœnitentes?*

P. Pœnitentes sive pœnitentiā agentes,

C 4

sunt

sunt quin non solum peccata sua deflent agnita; sed etiam remissionem peccatorum fide accipiunt.

D. Quid sequitur poenitentiam?

P. Correctio vitae.

D. Quid vero est imputatio justitiae?

P. Imputatio justitiae est, quia Deus justificandis justitiam Christi imputat.

D. Quid est iustitia Christi?

P. Iustitia Christi, est impletio legis.

### Caput 5.

## De ritus definitione & distributione.

D. Quidjam ages?

P. Postquam tibi primum credentium explicui requisitum in justificatione, deinceps alterum in ritu positum explicabo.

D. Facito, & imprimitur quid sit ritus?

P. Ritus, est actio saltē externa, Ecclesiæ servare mandata.

D. Oro dicas mihi paucis, quid haec voces in definitione (saltē externa) sibi velint?

P. Illae innuunt omnem ritum esse externum & quodammodo in oculos incurtere, & quendam etiam unā esse internum, quendam tantum externum.

jam

D. Iam dic quotplex sit ritus?

P. Necessarius & adiaphorus.

D. Quid necessarius?

P. Necessarius ritus, vel sacramentum, est titus à Christo mandatus, sine quo sallus non datur ei, qui potest servare.

D. Quantum percipio, qui hunc negligit, nisi summa necessitate coactus illum condemnari: num etiam contra omnis qui cum servat salvatur?

P. Nequaquam. nam ad beatitudinem consequendam necesse est, ut quis credat, id est, justificatus sit, & ritus deinde mandatos servet.

D. Quotplex est ritus necessarius?

P. Baptismus & Cœna Domini.

### Caput 6.

### De baptismo.

D. Quid est baptismus?

P. Baptismus est ritus necessarius, quo in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti aqua perfusi in mortem Christi baptizantur in remissionem peccatorum & regenerationem vitae æternæ.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Pa-

ne Patris, Filii & Spiritus sā-  
ti. Qvi crediderit & bapti-  
zatus fuerit salvus erit. Qvi  
verò non crediderit, con-  
demnabitur.

D. In cuius, sacramentorum veteris testamenti,  
locum succēsbit?

P. In circumcisionis.

D. Qualis illa fuit?

P. Circumcisio fuit apud Hebræos ritus  
necessarius, qvo jubebantur pueri, octavo à  
nativitatis die, in glande genitalis membra  
circumcidiri, in signum fœderis.

#### Caput 7.

#### *De cœna Domini.*

D. Quid autem est cœna Domini?

P. Cœna Domini est ritus necessarius, qvō  
cum pane & vino, editur corpus Christi pro  
nobis traditum, & bibitur sanguis ejus, pro  
nobis effusus, in remissionem peccatorum.

Dominus noster Iesus Christus, in eâ nocte, qvâ tradit⁹  
est, accepit panē & postqvam  
gratias egisset, fregit & dedit

discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem. Similiter & postquam coenavit, accepto calice, cum gratias egisset, dedi illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. hoc facite quotiescumque bibetis in mei commemorationem.

D. Cui sacramento amici fœderis haec succedit cœna? P. Agno Paschali.

D. Quale hoc sacramentum?

P. Agnus paschalis erat apud Israëliticos ritus necessarius quo familiæ agnum masculum, anniculum, immaculatum integrè assatum, cum azymo



et lactucis agrestibus subebantur accinctæ ad  
iter 14. die mensis primi sub vespere comedere  
et sanguine ejus postes et limina aspergere.

### Caput 8.

## De ritu adiaphoro.

Suntne etiam alia præterea sacramenta et ritus  
necessarij?

P. Hoc modo dicti, omnino nulli sunt.

D. Quamobrem mihi dic quid ritus adiaphorus?

P. Ritus adiaphorus, est ritus merè ex-  
ternus à ministris verbi divini in ædificati-  
onem Ecclesiæ institutus; vocaturq; ce-  
remoniæ.

D. Da ejus aliquot species?

P. Species certe dari non possunt, indifferentes  
enim sum, et pro ratione temporis et loci va-  
riari possunt.

D. Dic ergo breviter quorū tendant quidam.  
nam non omnes idem spectare arbitror?

P. Quidam (ut generaliter dicam) ad pom-  
pum spectant; quidam vero ad docendum et ad-  
ministrandum sacramenta necessario faciunt. Inter-  
rim tamen omnes sunt externi, neq; pro cultu Dei  
ut habeantur quisq; cogi potest.

### Caput 9.

De

## *De die novissimo.*

D. Hactenus videor mihi satis cognovisse quibus infernus et vita eterna detur ; queso ergo ut dicas quando hoc fiat ?

P. Utrumq; tam beatitudo quam infernus contingit animae statim a morte ; corpori autem in novissimo defum die.

## *Credo carnis resurrectionis.*

D. Quid est novissimus dies ?

P. Novissimus dies est, quo repurgatis omnibus per ignem, Christus veniet in suam maiestate, mortuorum corpora ex terris a Deo evocata animabus iterum suis conjunget, viventes vero homines in momento immutatos associabit benedictos benedictis, maledictos maledictis.

## *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.*

D. Quid deniq; nobis restat ?

P. Hoc quod modo definivimus.

## *DIALOGUS IN QVO breviter usus horum præceptorum ostenditur.*

Quam-

D. Qvamquam praeceptor colende tu  
finem definitionibus & distributioni-  
bus theologicis feceris: tamen ego non-  
dum interrogationibus facere possum.  
P. Quid ita? D. Qvia multum du-  
bito, an etiam firma & vera, num perse-  
cta & plena sint omnia. P. Veritatem  
horum praeceptorum nunc tibi ex sacris  
litteris monstrarem, nisi hec res totum  
tractatum requireret; quod Deo volete  
propedem habebis. D. Interim ta-  
men mihi, si non omnium fundamenta  
& probationes vis dare, saltem unam atque  
alteram definitionem testimoniis verbi  
divini confirma; ut firmior & certior red-  
dar. P. Faciam: dic quam cupis vel  
de quam maxime dubitas? D. Multae  
sunt, immo plurimae. P. Nomina igi-  
tur unam, cum non potes omnes.  
D. Proba mihi sacramenti altaris de-  
finitionem, atque ante omnia genus,  
quo dicitur ritus necessarius. P. Sa-  
cram coenam esse ritum, ex superius  
posita definitione ritus intelliges. cap.  
5. hujus libri. D. Quodmodo sunt  
defi-

definitus. P. Ritus est actio saltem externa Ecclesiæ servare mandata. D. Et hæc quantum video, vel potius cœcutio stabilenda est. P. Stabilitam ergo; & primò dico actionem ex cap. 12. v. 72. Exod. ubi Deus ait: omnis cœtus filiorum Israël faciet illud id est pascha celebrabit. D. Nominurne pascha ritus? P. Maximè. Exod. 12. v. 43. D. Nullusne preterea ritus, qvam pascha? P. Neqvaqvam. omne enim qvod Ecclesiæ præcipitur externâ actione (præter virtutes) perficiendum, ritus dicitur. D. Atqvi ritus etiam fuerunt Ethnicis sacerdotibus. P. Nego, nam licet, actiones qvasdam externè perficerint; tamen non rectè & ritè, qvia non secundum præcepta Dei; verùm contra. Qvòd si autem vocabula urges, qvibus etiam suas superstitiones & vitia Ethnici nominaverunt, concedam tibi latius patere ritum, qvám hic definitur. Sed eā ratione, nulla vox latina Ecclesiæ erit usurpanda, qvia antea ab Ethnicis usurpata est, nec codex ille, qvem sacrū nominamus, sacra Biblia fuerit ap-

pel-

pellandus, qvo nomine etiam sacer-  
dothes Ethnici suos oraculorum libros  
indigitarunt; nec Ecclesia, nec sacramē-  
tum (ex qvib[us] Aristoteles priore, Ci-  
cero altero usus est) ad ullam rem no-  
bis denotandam sumi poterunt. Hisce  
igitur vocibus ut sobrie utaris, conside-  
rato definitiones earundem, qvæ ex-  
plicant in qvo significatu illi acceperint  
qvi Christo sua nomina dederunt.  
D. Omisis ergo hisce; qvo dicto pro-  
babis esse actionem Ecclesiæ mandatā;  
non etiam alijs qvi sunt extra eam? P.  
Ex ultimo capite Matth. v. 20. ubi  
Christus præcipit discipulis, ut prius  
doceant gentes, anteqvam baptizent  
eas: & Petrus Actor. io. v. 47. dicens:  
Nunquid aquam qvis prohibere potest,  
ut non baptizentur hi, qvi Spiritum  
sanctum acceperunt, sicut & nos. D.  
Hanc definitionem uni convenire acti-  
oni video, sed an omnibus dubito qvæ-  
re etiam ostende convenire ceremonias.  
P. Ceremonias Ecclesiæ mandari ser-  
vandas Christus satis arguit, cum locu-  
tus est ad turbas (doctrinam suam am-  
plecten-

plectentes) & ad discipulos suos. Super  
cathedram Mosis sederunt scribæ &  
pharisæi; omnia ergo quæcunq; dixe-  
rint vobis (sedentes scilicet in cathedrâ  
Mosis) servate & facite. Matth 23. v. 2.  
D. Intelligo de ceremonijs verè dici.  
nunc applica ad cœnam Domini. de  
illâ enim agere animum induximus.  
P. Hoc anteqvam faciam dic mihi cœ:  
na domini estnè sancta & sacra? D. Imò  
sacratissima. P. Qvare illa nemini ad-  
ministranda, qvam illis qvi sunt in Ec-  
clesiâ. D. Unde hæc conclusio absq;  
propositione confirmatâ? P. Propositionem  
satis fulcit Christus Matth.7. v.  
6. inqviens. Nolite sanctum dare cani-  
bus; nec pmittatis margaritas vestras an-  
te porcos, ne forte conculcent eas pe-  
dibus suis & conversi dirumpant vos.  
D. Vocantur illi, qvi extra Ecclesi-  
am, canes & porci? P. Certè. nam  
qvidam doctrinam sanam apprehen-  
dunt, ut canis gramen; sed postea evo-  
munt, ejectamq; oderunt & prose-  
quuntur. qvidam non agnoscent, nec  
ad puritatem verbi pervenire volunt;

D

scd

sed semper impuris iussis, suæ mentis  
sine mente, gaudent, ut amica luto sus.  
D. Sacram cœnam esse ritum, satis  
mihi videtur stabilitum, sed an neces-  
sarius sit ambigo. P. Hic te itidem  
remitto ad definitionem ritus necessarij,  
quæ est lib. eodem cap. eodem. D.  
Estnè hæc? Necessarius ritus, vel Sacra-  
mentum est ritus à Christo mandatus, sine quo salus  
non datur ei qui potest servare. P. Ea ipsa.  
D. ut me remilisti ad dubiam defini-  
tionem; ita ego te remittam ad certas  
sacræ scripturæ regulas, ut ex illis mihi  
hanc certam facias. P. Sacramentum  
esse ritum à Christo institutum, seq-  
uentia dicta declarant, Acto. 8.v. 16. Non-  
dum S. S. in quemquam illorum vene-  
rat, sed tantum baptizabantur in nomi-  
ne(mandato domini,) Iesu. Et Paulus i.  
corinth. ii. v. 23. ait de cœna domini. E-  
go à Domino accepi, quod tradi-  
di vobis. mandatum autem illud extat  
Matth. 28. v. ultimis Marc. ult. v. 16.  
Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. i. corinth.  
ii. D. Qvibus dictis secundum  
membrum hujus definitionis cōfirma-  
bis,  
adie. □

bis. P. Iohan. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu non poterit intrare in regnum cœlorum Iohan. 6. v. 53. Amen amen dico (ego Christus) vobis, nisi comedetis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem ipsius non habebitis vitam invobis manentem. Ex hisce discis, salutem sine baptismo & usu cœnæ Domini nemini dari. D. At qui latro ille in cruce Luc. 23. v. 42. salvatus est absq; ullo sacramento; infantes etiam ante baptismum extinti nō condemnantur. P. Recte itaq; additur, ei qui servare potest. quod etiam Christus in ipsius baptismi institutione innuit, dicens, Qui non crediderit, (nō additur, & non baptizatus fuerit) condemnabitur. Sufficiat igitur, cum non possit baptizari vel corpus domini sumere, ut credat. D. Qvoniā non ambigua dicta ex sacris Biblijs pro genere cœnæ Domini attulisti, infans essem si ambigerem de illo. jam quod restat in definitione hac probadū proba. P. In sacra cœnâ cum pane edi corpus Christi & bibi sanguinem ipsius, verba institutionis manifestissimè docent. His si fidem nescis

D 2 habe-

habere , nec ego tibi alia adducere scio  
testimonia. D. Qvod si omnia præ-  
cepta ita convenient cum verbo divino,  
obligere nunc nihil aliud novi , qvam  
imperfectionem. P. Hæc Theologia  
non tam vera est , qvam perfecta . omnia  
enim studio Theologiae scitu necessa-  
ria complectitur : ac ut nihil superfluum ,  
ita nihil deest. D. Multa tamen vi-  
dentur afferri posse , de qvibus ne a-  
pex in hisce libellis. P. Qvænam sunt  
illa? D. Atq; ut à primo loco , de mi-  
nisterio nempe , exordiar , in quo multa  
abesse & reqviri ajo. P. Qvæ? D.  
Solutiones qvæstionum seqventium ,  
qvæ mihi exhis non posse dari autumo.  
P. Audiamus ergo. D. Estne mi-  
nisterium? P. Si ministri sunt , cur  
nullum esset ministerium ? si consules ,  
consulatus qvare esset nullus ? si milites ,  
qvid prohibet militiam existere ? D.  
Suntne ministri? P. Quid ni essent  
nam definimus & ponimus. D. Par-  
tes ministerij qvæ sunt? P. Tot , qvot  
ministrorum. D. Qvot ergo sunt mi-  
nistrorum partes. P. Duæ , docere  
Theo-

Theologiam, & ritus administrare. sic  
enim est definitio. D. Qvis est esse  
ctus ministrorum. P. Docere & ad  
ministrare. D. Tamen hæc verba nō  
habentur in definitione , illa duo esse  
effecta ministrorum. P. Verba qui  
dem non ponuntur , sed res insunt :  
neçp necesse est ponи. si enim ex Logicâ  
didicisti , qvòd effectum sit , qvod è  
causis existat , facile jam assumere &  
concludere tecum potes. Atqvi doce  
re & sacramenta administrare à mini  
stris existunt. Ergo docere & admini  
strare sacramenta sunt effecta ministro  
rum. Qvod si omnia , qvæ qværi pos  
sunt inserere voles , etiam Grammati  
ca foret tradenda , Rhetorica , Physi  
ca etc. ac compendium haberes majus  
ipis Biblijs. Scitari posses unde vox  
ministerium? cuius figuræ? qvare sin  
gulari utaris numero? qvomodo di  
stingvatnr à sutoriâ , sartoriâ , rectoratu  
magistratu? an sic res cogitatione sepa  
rata à rebus Physicis? num mathemati  
ca? utrum ad voluntatem , an intellectū  
referatur? D. Qvotuplex est autem

D 3                voca-

vocatio ministrorum, hæc forsitan magis  
ad farinam? P. Duplex, vel à Deo vo-  
cantur sine alio, vel ab eodem per Ec-  
clesiam. D. Cur vocas ministros Ec-  
clesiæ? P. Qvia docent eam acadmi-  
nistrant administranda. D. Suntne  
ministri malí tolerandi? P. Quidni?  
Bonai enim mores non faciunt mini-  
strum; sed vocatio legitima, doctrina in-  
corrupta, & iusta sacramentorum ad-  
ministratio. D. Qvibus à Deo com-  
missum est vocandi ministros? P. Ec-  
clesiæ. D. Quid reqviritur in ministro?  
P. Vocari, docere, & administrare.  
D. Nonnè etiam eruditio? P. Ma-  
ximè, qvomodo aliâs vult facere ut alij  
sciāt, qvod ipse nesciat: D. Licitne mi-  
nistris Ecclesiæ esse conjugatis? P.  
Qvod prohibitum non est, concessum  
videtur, insuper in secundo libro, casti-  
tas dicitur virtus omnibus omnino cō-  
petens. D. Sunt ne gradus ministe-  
rii? P. Maximè; sed non tantū ministri,  
sed etiā in omnib. statib. ut secundus  
liber ad justitiā distributivam testatur.  
D. Qvod est officium ministrorū? P.

Ante

6. p. 9. D.

Ante dixi, dum de effecto disserrim⁹.  
D. Licet n̄ petere conditionem Ecclesiasticam? P. Si omnem, qvā potes  
alijs prodesse animumqz tuum erga proximum declarare, ambire licet (ut in  
appetitione honoris docuim⁹ lib. 2.) cur non etiam conditionē Ecclesiasticā pe-  
tere honestum sit? D. Qvis debet esse finis ministri? P. Qui exprimitur in  
definitione ejus. D. Licet n̄ ministro Ecclesiae salaryum petere? P. Si labo-  
re honesto acquirere bona justum, (ut in secundo libro laboris explicatio in-  
nuit) qvis injustos nos dicet, si ex hone-  
stissimo opere, qvo alios ad viam salutis  
ducim⁹, p̄m̄ium petimus? D. Habēt  
n̄ ministri jurisdictionē? P. Si ipsorum  
officium & effectum, de qvo antea di-  
ximus, jurisdictione appellatur, habent; sin  
minibus, minimē, illis concessā esse existi-  
mandū est. D. Quae pugnantia sunt  
cum ministerio? P. Omne qvod huic  
definitioni non convenit. D. Quot  
autem sunt? P. Plura qvām à me in  
magnō aliquo volumine explicari pos-  
sunt: qvæ tu, si dabuntur, ipsem̄ et co-  
gnoscere adhibita ad hanc definitionem,

ex quā hasce responsiones ferē omnes  
sunt desumptæ. D. Qvanq; ad  
qvæstiones omnes omnium locorū ex  
definitionibus respondere possis; tamē  
credere neq; veo, qvod habeas illa omnia  
in definitione Dei, qvæ de illo dicun-  
tur. P. Qvænam omissa putas? D.  
Hæc, qvæ ex te sciscitabor. P. scisci-  
tare igitur. D. Est ne Deus intelligēs?  
P. Est. qvia spiritus. Spiritus autem  
omnis est intelligens. De sp̄ritu autem  
corporis animati non loqvor, qvi per  
metaphoram qvandam dicitur sp̄ritis,  
ad eum, de qvo Ioan. 4. v. 24, loquitur  
Christus, si confertur. D. Estnè aliis  
à creaturis omnibus? P. Maximè, a-  
lio enim modo definitur, & qvæ de il-  
lo dicuntur in nullam creaturam cadit.  
D. Estnè verax, bonus, castus, miseri-  
cors, irascens peccatis? P. Qvomodo  
in eum, qvi optimus est, aliquid mali  
aut ejus volentia, potest cadere? D.  
Estnè infinitus, immense sapiētiæ, liber-  
rimus, omnipotens? P. Est. nisi maxi-  
mus habeat in ullâ re se majorem. D.  
Quantum oculi mentis mæprospicere  
valens

valent, omnia huc video congesta, quæ  
alijs in suis compendijs, examinib. & ca-  
techismis habent theologica; & si ab unâ  
atq; alterâ specie de genere judicandū,  
perfectissimum opus theologicum sta-  
tuo, atq; præceptore docto opus esse in-  
telligo, qvi interpretetur, cōferat & edu-  
cat. Sed qvoniam qvisq; suorum verbo-  
rum optimus interpres, omnes quæsti-  
ones ex hisce tuis præceptis singulari a-  
liquo libro interpretator theologicas,  
atq; si tempus & otium, axiomata ac  
consectaria inde educas, hæresesq; ex il-  
lis dissolvas, P. Alio libro hæc omnia,  
Deo volente, nemine impediente, atq;  
studio meo concedente, pro virili præ-  
stabo, tibiq; gratificabor, non n. me ho-  
minem ad imaginem Dei conditum i-  
gnoro, neq; me natum alijs ut inservire  
obliviscar, hisce vale atq; præcepta inte-  
rim, si vis aliquem fructum inde ha-.

bere, ad ungveim edisce, medi-  
tare, atq; confer cum  
alijs,

D s Tabu-

# Tabula generalis & prima.

essentiam.

Theologia,  
quam docet  
ministri Ec-  
clesiae, secū-  
dum vulgus,  
versatur  
circa Dei.

volunta-  
tem, quā  
exprimit

Lex

&

Euan-  
geliū.

## Tabula secunda de Deo.

Essentia Dei est in

[S]oror, quā  
unus Deus,  
quā mā  
nifestat

mundi

personis  
qvarum  
alia est

mittens : ut , Pater.

missa

missa-mit-  
tens: ut , Fi-  
lius: ubi  
notanda

tantum-missa : ut , Spiritus  
sanctus.

creatio.

cōseruatio,  
ob qvam  
accidunt

miracula  
crux Ec-  
clesiae.

uniona  
turarū

communicatio i-  
diomatum.

divine  
humāe

pr̄fscientia.

# Tabula tertia de Lege.

requisitum	<i>Imago Dei.</i>
	<i>Liberum arbitrium.</i>
vitiū	<i>Imago Diaboli vel peccatum originis.</i>
ubi	<i>Prima: ut, dilectio.</i>
	<i>Servum arbitrium.</i>
notitia Dei.	<i>Tantū à primā: ut, timor Dei.</i>
interna.	<i>Merē orta Etiam aborta spes.</i>
dīvina	<i>Fides.</i>
latrīa.	<i>Oratio.</i>
mixtum	<i>Inuocatio.</i>
externa, dierum	<i>Iuramenta gratiarum actio.</i>
	<i>Omniū: ut, confessio.</i>
	<i>Fidelitas mēcertorum diligētia all.</i>
superiorū	<i>Species: ut, magistratus.</i>
officiā	<i>Educa renume-</i>
	<i>tio ratio.</i>
clā	<i>Justitia vindicatio.</i>
	<i>Distribuit cui subser-</i>
	<i>Vitae equitas appetitio.</i>
specialis	<i>Potentiuū honorem gloriatio.</i>
humana	<i>Subje- clorū non subje- tium petē- ctio reuerē- tis pietas.</i>
	<i>Obedientia.</i>
	<i>Reuerē- tis pietas.</i>

*Lex versatur circa virtutem in quā speculatur.*

2. partes

			magnanimitas.
		doloris	patientia.
	fortitu-	do	benivolē-
		irent, humanitas.	amici-
			cūia
			amicitia.
			clementia.
			humilitas.
I.			2.
			comi
genera-	tempe-	tactus	affabilitas
lis.	rantia		tas
			urbanitas
			castitas, ubi conju-
			grum.
			sobrietas.
			spudicitia.
		gestus	ornatus.
			labor.
	justitia	acqui-	parsimonia.
	commu-	rens	supp
	tativa.		justitia cōmu-
			tativa. ubi fi-
			des.
2.		usur-	bene.
		pans	libera
			ficien
			titia
			litas
			hospi-
			tali-
			tas
			acciopiens: ut grātē-
			tudo.
			veracitas.
			taciturnitas.
	moderaio lingue		

# Tabula qvarta de Euan- gelio.

							agentib. pœ- nitentiam.
							remissione peccatorū
							qvæ da- tur
							corrigenābō vitum.
							ad
							gaudi- ū cre- dētib. qvib. opus
							justifi- catiōe consi- stēto
							in
							imputatione justitiae Chri- baptismi. (ſt)
							obser- vatio- ne rit⁹
							necessarij
							cœnæ Domini
							adiaphori.
							cruciatus, incredulis,
							animæ statim à discessione ex corpore; huic ve- rō demym in novissimo dic.

Euangelium docet immortalitatem contingere

Index locorum , qvi in hi-  
sce tribus libris con-  
tinentur.

*A*

*De Aeqvitate lib.2.cap. 11.*

*De Affabilitate. lib.2.cap.16.*

*De Appetitione honoris. lib. 2.*

*cap. 12.*

*De Amicitiâ.lib. 2.cap. 15.*

*De Angelis.lib.1. cap.4.*

*De Animâ* [phys.lib.2.]

*De Anima origine. [ cap. 12.*

*De Anima immortalitate.(lib.*

*De Animarum statu.(3.cap.9.*

*B*

*De Baptismo. lib. 3.cap. 6.*

*De Benificentiâ.lib.2.cap.21.*

*De Benivolentiâ.lib.2.cap.15.*

*De*

*De Bonis operibus.lib.2.cap.2.*

*C*

- Castitate lib.2.cap.17.  
Ceremoniis.lib.3.cap.8.  
Clavibus Ecclesiae seu regni  
cælorum.lib.3.cap. 3.  
Clementia.lib.2.cap.15.  
Christo.lib.1 cap.6.  
Communicatione idioma-  
tum.lib.1 cap.6.  
Comitate.lib.2.cap.16.  
Cœnâ Domini.lib.3.ca.7.  
Confessione.lib.3. cap.4.  
Conjugio.lib.2.cap.17.  
Contingentia et rerum ne-  
cessitate.Logices lib.2.ca.3.  
Conservatione mundi.lib.  
1. cap.3.  
Consummatione seculi.lib.  
3.cap. 9.*

*De*

2.  
ni  
2.  
-  
e.  
3.  
b.  
b.  
De

Creatione.lib.1.cap.3.

Credentibus lib.3.cap.2.

Cruce & afflictionibus lib.

1. cap.4.

D.

DEO.lib.1.cap.2.

Diabolis.lib.1.cap.4.

Dilectione.lib.2 cap.6.

Diligentia auditorum.lib.

2. cap 9.

E.

Educatione.lib.2.cap.11.

Ecclesia lib.1.cap.1.

Electione & prædestinati-  
one.lib.3.cap. 3.

Euangelio lib.3.cap. 1.

Extremo judicio.li.3.c. 9.

F

Fide.lib.2.cap. 7.

E

Fide-

Fidelitate ministrorum.

lib. 2. cap. 9.

Fortitudine lib. 2. cap. 14.

G

Gratiâ lib. 3. cap. 4.

Gratiarum actione. lib. 2.  
cap. 8.

Gratitudine lib. 2. cap. 22.

Gloriatione lib. 2. cap. 12.

De

H

Hospitalitate lib. 2. cap. 21.

Humanitate lib. 2. cap. 15.

Humilitate lib. 2. cap. 16.

I

Imago Dei in homine lib.  
2. cap. 2.

Incredulî lib. 3. cap. 2.

Inferno lib. 3. cap. 1.

Imputatione justitia Chri-  
sti li. 3. cap. 4.

Iustitia Christi lib. 3. ca. 4.

Iustitia commutativa, lib.

2. cap. 19. § 20. (II.)

Iustitia distributiva, l. 2. c.

Iustificatione, lib. 3. cap. 3,

Iuramento lib. 2. cap. 8.

Invocatione lib. 2. cap. 8.

### L

Labore lib. 2. cap. 19.

Lege, lib. 2. cap. 1.

De Legis § Evangelij discrimine, lib. 3. cap. 1.

Liberalitate lib. 2. cap. 21.

Libero arbitrio lib. 2. ca. 2.

Libertate Christiana

### M

Magistratul lib 2. cap. 10.

Magnanimitate li. 2. c. 14.

Ministerio Ecclesiae, verbi

E 2 Mi-

Ministris, & eorum voca-  
tione lib: 1. cap: 1,  
Miraculis lib: 1 cap: 4. (23  
Moderatione lingual: 2 c.  
Morte Phys: lib: 2 cap: 1.

N

Notitia Dei lib: 2 cap: 5.  
Nova obedientia li: 3 c. 4.

O

De Obedientia lib: 2. cap: 13.  
Officio mediatoris li: 1 c. 6.  
Ordinatione lib: 1 cap: 1.  
Ornatu lib: 2. cap: 18.

P

Patientia lib: 2. cap: 14.  
Parsimonia lib: 2. cap: 19 (3  
Peccato, eiusq[ue] causal: 2. c.  
Peccato Originis, an sit sub-  
stantia vel accidens l. 1. c. 3.  
Peccato actuali li: 2. cap: 3.

Pietate lib: 2 cap: 13.

Pœnitentiâ lib: 3 cap: 4.

Precatione lib: 2. cap: 8.

Providentiâ divinâ li. 1. c.

Prudentiâ li: 2 cap: 4 (3.

Pudicitiâ lib: 2. cap: 18.

R

Regno E<sup>S</sup> sacerdotio Chri-  
sti lib. 1. cap. 6-

De Remissione peccatorum lib  
3 cap 4.

Remuneratione l. 2 cap 11.

Resurrectione mortuorum  
lib 3 cap 9.

Reverentiâ lib 2 cap 13.

S

Sacramentis Novi Testa-  
menti lib 3 cap 5.

Sacramentorum numero  
lib 3 cap 5.

Sacerdotio Christi lib 1 ca: 6.  
Sanctificatione & renova-  
tione lib 3 cap 6.

Sacred sancta scriptura lib.  
Scandalum lib 3 c. 3. (1 cap 1.  
Scopo theologum lib 1 cap 1.

Sepultura lib 3 cap 9.

Sobrietate lib 2 cap 17.

Spe lib 2 cap 7.

Spiritu sancto lib 1 cap 7.

Subditis lib 2 cap 13.

T

Taciturnitate lib 2 ca 23.

Temperantia lib 2 cap 17.

Timore Dei lib 2. cap 7.

Trinitate seu personis uni-  
us essentiae divinal. 1 cap 5.

V

Veracitate lib 3 cap 23.

Ve-

Veteri & novo testamēto  
unione personali in Christo  
lib 1 cap 6.

Voluntate lib 2 cap 1.

De Vocatione gentium lib 1 c. 1.

Votis lib 2 cap 20.

Vindicatione lib 2 cap 11.

urbanitate lib 2 cap 16.

Vitâ aeternâ lib 3 cap 1.





ROSTOCHII

*Excudebat Stephanus Myli-  
ander, impensis Laurentij  
Alberti, civis ac biblio-  
polæ Lubecensis.*



A N N O  
C I C I . X C I .





23. März 1855





D. Quotuplex est?  
Affabilitas & urbanitas.

D. Quid affabilitas?  
Affabilitas, est comitas, qvæ aliis ad-  
& colloquendi facile copiam facit.  
D. Quid autem est urbanitas?  
Urbanitas, est comitas, qvæ sermone  
recreat.

### Caput 17.

### Castitas & sobrietate.

D. associasti temperantiam in  
distructum humanae generalis, dic  
quid ea.  
P. Tenuis virtus humana ge-  
neralis, tem cavit tur-  
pem.

Non me

D.

P. Tactus vel g

D. Que tem

P. Castitas & sobri

D. Quid es

P. Castitas, est tem-  
venereæ.

D. Quid nominas libidin